



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et
Sexto Decretalium Continentvr

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Regvla XXVIII. Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad
consequentiam sunt trahenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

REGVLA XXVIII.

Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

1. **V**ide, quàm ad amussim *Paulus* I. C. in *Regula* 183. Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentiam. & l. *Quod verò. tit. de leg.* Sunt enim odiosa c. *Sanè. de privileg.* adeoque non amplianda, sed contrahenda. c. *Odia* suprà. Exorbitare dicuntur, quæ ab orbita, seu via communi descedunt, quod S. Scriptura vocat, declinare ad dextram, vel sinistram: cujusmodi sunt dispensationes, privilegia, & statuta juri communi contraria, quæ in consequentiam, hoc est, alias personas, & similes casus non debent extendi. *Exempla* peti possunt ex *Reg. 15.* Superius explicata, ubi diximus, Ea restringenda esse, quæ quia *Juri communi* adversantur, odiosa sunt. Exemplum *Gloss. est ex c. Quanto de iudiciis.* Laicis quamvis incapaces sint juris spiritualis & illi annexorum, concessum est, ut possint jus patronatus possidere, quatenus ipsi inducerentur ad fundandum, ædificandum, vel dotandum Ecclesias; illud privilegium verò non debet in consequentiam trahi ut etiam causarum spiritualium iudices fiant. Aliud exemplum sumit ex *Bonifacii VIII. Bulla*, tunc recens edita quæ incipit, *Super Cathedram præminentia Pastoralis*, & habetur in *clem. Dudum. de sepult.* ubi Minoribus, & Prædicatoribus facultas

conceditur in locis suis sepeliendi eos, qui elegerint apud illos sepulturam, & non teneantur de funeralibus, & quibuscunque obventionibus, nisi quartam partem Parocho dare. Hoc privilegium vi illius *Extrav. neque Carmelitis*, neque Augustinianis competit per *Regulam, Quæ à iure communi, &c.* Dyni exemplum notissimum est. Aliquis non legitimè natus impetravit, ut valeat promoveri ad beneficium, etiam curatum. Virtute illius dispensationis non potest habere, nisi unicum beneficium, c. *1. de filiis Presbyterorum.* Addit *Canisius.* Cui dispensatio facta est ad dignitatem, vel beneficium Ecclesiasticum nulla mentione facta curati beneficii, non potest ad curatum admitti, nec ad plura beneficia, quam unum, quod dispensatio in utroque casu lædit jus commune. Quo spectat illud *Pomponii* in l. *patri. 20. tit. ad l. Iuliam. de adult.* Patri datur jus occidendi adulterum simul cum filia, quam in potestate habet: itaque nemo alius ex parentibus idem jure faciet, sed nec filius familias pater. Cùm enim id juri communi adversetur, ad alios parentes minimè transferri debet juxta tenorem hujus *Regulæ.* *Fachinus* l. 7. c. 28. *Suar.* l. 6. de leg. c. 3. *Rodr.* 1. q. 55. art. 18. V. *quæ dixi de extens. legum in Prolegomen. §. 7.*

N 2 II. Vnde

II. Unde colligitur, Regulam ampliandam esse. quævis eadem ratio, & causa videatur in uno, & altero. Nam consequentia non admittitur. Permissum, ex. gr. Principi est, nominare Prælatum pro hoc loco propter necessitatem, licet ergo simul pro alio, ubi eadem necessitas est.

Amplia 2. imò licet ratio, & causa major sit. Poena suspendii constituta est illis, qui pecuniam injustè aliis eripiunt: non inferes benè. Simili modo, & magis puniendi sunt, qui alios honore & æstimatione sua iniquè spoliât per calumniam, aut detractionem. Adde, hinc deficere illud, cui licet, quod plus est, multò magis, quod minus est, licere debet. *inf. reg. 53.*

Amplia 3. ut concessio non extendatur ad omnia, quæ in actu, vel negotio continentur. Adulterii crimen ex. gr. quinque annorum spatio præscribitur, *l. Adulter. C. ad l. Iuliam. de adult.* At si conjunctus incestus sit, ad eum non extenditur. Item si quid statutum fuerit contra Ecclesiam Parochialem propter interesse publicum, non debet applicari Ecclesiæ Collegiatae, quæ simul Parochialis est. *c. Canon. c. statutum. de elect. in 6.*

III. Hinc excipiet ea, quæ statutuntur, vel disponuntur ad pias causas;

quales sunt pro religione pauperum alimonia & similibus.

Item quæ salutem animarum concernunt: in quibus extensio ad similia, aut paria facile permittitur, modo non præjudicet in aliis. *Barb. hic. Quocirca Peckio* teste à libertate ad piam causam, à pia causa ad alimenta, à dote ad piam causam, à fisco ad Ecclesiam, à pupillo ad rempubl. bona consequentia, & justa argumentatio procedit. *V. Eberh. in Topicis loco 61. 62. 71.*

Præterea admittitur extensio, 1. quando id bonum publicum exigit. 2. in necessariis, & inseparabiliter connexis. 3. in correlativis. 4. in illis, quæ sub communi significatione verborum comprehenduntur. 5. in iis quæ æquiparantur à lege. 6. quando agitur de excludendis fraudibus. 7. quando unum alterius loco surrogatur. 8. quando aliter evitari non potest absurditas, vel incommodum sequeretur ex impedita extensione. Denique si extensionem sibi legislator reservavit.

Atque ex his observationibus omnia quæ objici possent, nullo negotio dissolvuntur. *V. Peckium in Comm. n. 10. & 12. Zerola V. Extensio. Eberh. in loco. A speciali. Azor l. l. 5. c. 16. Silv. in V. Lex. q. 18. Salas de leg. tract. 16. disp. 17. sect. 6. Emm. Sa in V. Gratia. Franc. Marcm. decis. 491.*

REGULA XXIX.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

1. *S*umitur ex *l. fin. C. de auctoritate serv. rust. prædiorum.* Nec obscura ratio est, quod alteri per alterum iniqua conditio